



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Kolophon

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



in quo meritum consistit, non habet successione, sed est simplex & instantaneus. Secundo uero, quia ad motum uoluntatis non praexigitur nisi actus apprehensio uirtutis, qui quidem motus in eodem instanti est cum actu uoluntatis, eo quod bonum apprehensum mouet uoluntatem. Simul autem est motio mouentis, & motus mobilis. Ipsa uero apprehensio boni in Christo non praexigebat aliquam inquisitionem ad hoc, quod esset de bono certum iudicium: quia secundum certitudinem Christus atim de omnibus uerum iudicium habuit. Pareat igitur quod nihil prohibet Christum in primo instanti meruisse. Et ideo concedendum, quod in primo suae conceptionis instanti meruit.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod deliberatio duo importat. scilicet perceptionem rationis cum certitudine iudicii de eo, de quo fit deliberatio: & sic potest esse in instanti in eo, in quo non est dubitatio de agendis, & sic fuit in Christo. Potest etiam dicere discussionem, siue inquisitionem, & sic importat discursum quemdam, unde non potest esse in instanti: & tali deliberatione Christus non indigebat, quia non erat dubitatio de agendis.

**AD SECUNDUM** dicendum, quod uoluntas rationalis naturae naturaliter ordinatur in bonum, non autem in malum: & ideo in primo instanti suae creationis, nisi aliquid impediatur potest ferri in bonum, non autem in malum, in quod non fertur nisi per errorem, qui incidit in considerando, uel inquirendo: unde praexigitur tempus collationis ad malum, non autem ad bonum.

**AD TERTIUM** dicendum, quod ratio illa procedit in moribus successiuis, non autem in instantaneis, cuius ratio est, quia quoniam duo motus sunt ordinati, idem instans quod est finis primi motus, potest esse principium secundi: sicut in eodem instanti quo completur generatio ignis extra suum locum naturalem incipit motus localis eiusdem, nisi sit aliquid impediens. Si ergo principium secundi motus, & terminus eiusdem, sunt idem, sicut accidit in moribus instantaneis, tunc principium motus secundi est in eodem instanti cum termino motus primi, sicut illuminatio, & uisio in eodem instanti terminantur. Si uero terminus secundi motus non potest esse in eodem instanti cum principio eiusdem, sicut accidit in omnibus moribus successiuis, tunc impossibile erit quod terminus secundi motus sit in eodem instanti cum termino primi motus. Cum igitur motus libere arbitrii sit instantaneus, nihil prohibet meritum eius esse in eodem instanti cum termino creationis.

Per hoc patet solutio ad quartum. Non enim est extra facultatem creature, ut in primo instanti compleatur eius motus instantaneus.

**AD QUINTUM** dicendum, quod licet potentia ratio-

nalis in primo instanti suae creationis possit habere suam operationem quantum est de se, tamen si accipitur potentia alligata organo, quod nondum est aptum ad perfectam operationem, impeditur ex defectu organi, ne tunc operationem habere possit: hoc autem impedimentum ab anima Christi per gratiam est remotum, & secundum hoc per gratiam habuit, ut in primo instanti agere possit.

**AD SEXTUM** dicendum, quod non est simile de instanti in tempore, & de puncto in magnitudine quantum ad propositum pertinet. Nam eodem puncto in magnitudine non potest aliquid mobile uti ut duobus, nisi in eadem specie motus: sed eodem instanti temporis potest aliquid mobile uti ut duobus, etiam quantum ad diuersas species motus. In eadem autem motus specie non est possibile quod sit continuus motus, si motus uno actu terminetur, & altero actu incipiat, quia sic intercidit quies media, & per consequens tempus. Possibile autem est in diuersis motibus secundum speciem quod simul sit terminus unius motus, & principium alterius, eo quod inter eos non requiritur aliqua continuus, nec aliquis ordo, cum ambo possint esse simul, sicut simul dum aliquid mouetur, potest dealbari: & in instanti in quo incipit dealbari, terminatur motus secundum locum. Quandoque uero inter partes eiusdem motus est ordo, ut duae earum non possint esse simul. Unde nec terminus unius partis est simul cum principio alterius, si accipiantur ambo in actu. Et sic patet, quod uti uno instanti ut duobus, non cogit ut sit tempus medium, sicut cogit ad hoc uti uno puncto ut duobus in motu locali.

**AD SEPTIMUM** dicendum, quod cum gratia sit perfectio naturae, non sic se habet gratia ad naturam, sicut e conuerso. Commutata autem proportio non in omnibus tenet, sed in mensuris continuis, uel discretis.

**AD OCTAuum** dicendum, quod illa ratio procedit de ordine naturae, non de ordine temporis: quod patet ex hoc, quod in eodem instanti forma dat esse, ordinat, & distinguit.

**AD NONUM** dicendum, quod consilium requiritur ad electionem, quando aliquis non est aptus in agendis, quod in Christo locum non habuit.

**AD X.** dicendum, quod Christus non assumpsit defectus, qui in imperfectione gratiae, & scientiae redundare possent: huiusmodi autem defectus est ineptitudo organorum ad actum animae: unde hunc defectum Christus non assumpsit, sed per gratiam confortabantur organa, ut essent idonea ad operationem animae, sicut in statu innocentiae accidisset fortassis. Alia concedimus, quia uerum concludunt, licet aliqua eorum non sufficienter.

F I N I S.

Animaduerte lector, complures huius libri locos, sic castigatos fuisse, ut in Vaticanis manu scriptis codicibus legitur, quod tunc facile intelliges cum librum hunc, cum ceteris omnibus, qui antea impresi fuerunt, contuleris, ut de corre. art. 1. arg. 8. & de bono q. 2. 1. art. 3. arg. 3. aliusq; in locis uideri licet.

## Series Chartarum.

ABCDEFGHIJKLMNO PQRST VXYZ, AA BB CC DD EE FF GGHH II KK LLMM  
 NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ, AAA BBB CCC DDD EEE FFF  
 GGG HHH III KKK LLL MMM NNN OOO PPP.

Omnes sunt Quaterniones, praeter PIP, qui est Quinternio.

V E N E T I I S, M D X C I I I.

Apud Dominicum Nicolinum.